



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Locutio Dei Ad Cor Religiosi**

**Pawłowski, Daniel**

**Dilingæ, 1686**

III. Meditatio: De peccatorum pœnis.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-60052](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-60052)

# DIEI SECUNDÆ

## MEDITATIO III.

*De punitis, & puniri solitis à Deo  
peccatis.*

Integrum ea de re habet S. P. N. Exercitium primum Hebdomadæ primæ, in quo explicat peccatum Angelorum, primorum Parentum, & quodlibet particulare.

ORATIO PRÆPAR. & PRÆLUDIUM I.  
ut suprâ.

PRÆLUDIUM II. Pete à Deo gratiam sancti timoris, & horroris peccatorum.

PUNCTUM I. Audi Deum dicentem: *Ezech. 5. Complebo furorem meum, & requiescere faciam indignationem meam in eis, Hoc audiens, considera indignationem Domini, & ultionem super Luciferum; ob unum peccatum superbiæ, ob quod corruit semel pro semper, totâ Divinitatis dexterâ percussus, & rudentibus inferni detractus. Considera quoque pœnam primorum Parentum, ob esum unius pomi, occasione cuius impletur hucusque hominibus infernus: pœnam Caini, ob unum fratricidium in reprobum sensum dat. & tandem damnati: pœnam Saul Regis, ob abjectum sermonem Domini à Domino abjecti. Ingredere præterea infernum*



fernum cogitatione, & videbis ibi innumeros, propter unicum peccatum æternum damnatos: & non disces alieno malo timere? Etiam si non in Religione solùm, sed in cœlo cum Lucifero esses, time, nec contemnendas putes etiam minimas Paradisi tui, id est Religionis tuæ, prohibitiones, etiam circa esum unius pomi.

II. Audi Deum dicentem, *Isaia 5. Va!* qui trahitis iniquitatem in funientis vanitatis, & quasi vinculum plaustrum peccatum. Hoc est vix horrendum, seu formidanda pœna, quâ puniuntur peccatores, *vinculum seu colligatio impietatis*, quando nimirum propter unum peccatum justè permittuntur prolabi in aliud, & rursus propter hoc in aliud, donec perveniatur ad ultimam ruinam, & fiat peccatum eorum peccans peccatum; quia enim semel peccârunt, reddiderunt se indignos speciali auxilio ad vitandum aliud peccatum, atque solâ sufficienti gratiâ supernaturali instructi, illam ipsam inefficacem reddiderunt, miserâque iniquitatis colligationem effecerunt, usque ad compedes & catenas inferni. Hoc altè in cor demisso, procide coram Deo, & per viscera misericordiæ ejus pete, ne te puniat pœnâ permissionis peccati; elige potius pœnam infernalem, quàm hanc permissionem.

III. Audi Deum dicentem, *Isaia 6. Extæ-*



ea cor populi hujus, & aures eius aggravata. Hæc est maxima & ultima pœna, quâ in hac vita puniuntur peccatores, Excœcatio, derelictio, ultima impœnitentia, dum per iterata liberè peccata merentur privari ultimâ gratiâ efficaci ad pœnitendum. O pœnam, ad quam omnia omnium creaturarum corda immutentur! nōne immutaberis & tu, Religiose?

COLLOQUIUM. Scio Domine Jesu, quod nolis mortem peccatoris! per eam ergo mortem, quam pro peccatoribus misericordissimè subiisti, peto à te, ne punias me permissione peccati, & excœcatione cordis! Pretiosissima Dei Mater Maria, quæ peccatores non abhorres, averte à me infelicitatem istam! potiùs moriar, potiùs inferno ardeam, quàm ut peccem! In fine, Pater, & Ave, &c.

## DIES TERTIA

*Pretiosissima DEI Parenti, Maria, consecranda.*

Oratio jaculatoria hujus diei erit ista: *Pater! peccavi in cœlum, & coram te: jam non sum dignus vocari filius tuus. Luca 15.*

MEDI-